

re; sic liceat ipsi aliquandò falsum proferre? De quò *hic q. 2.*

56. Quæstio 8. An octo tantùm sint mendaciorum genera? De quò *hic q. 2.*

57. Quæstio 9. An sit proprium mentientis, aliud habere clausum in corde, & aliud promptum in lingua? De quò *hic q. 1. & 2.*

58. Quæstio 10. An omnis qui mentitur, mendacium dicat? De quò *hic q. 1. & 2.*

59. Quæstio 11. An de omni mendacio sit exponendum illud *Psal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium?* De quò *hic q. 1. & 2.*

DE PERJURIO.

DISTINCTIONIS TRICESIMÆNONÆ SYNOPSIS.

*Qui juramentis mendacia dicta tuetur,
Is perjurio animam polluit ore suam.*

Sic incipit: *Nunc de perjurio videamus.*

Sic terminat: *Et suam.*

1. **C**onnequitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de omni mendaciorum genere; sed in præsentî determinat de perjurio, quod est mendacium juramento firmatum: igitur hæc distinctiones non incongruè sonare videntur.

2. Consequentia probatur: Non exactè intenderet Magister de omni mendaciorum genere differere, si de perjurio, sive mendacio juramento firmato non ageret; sed Magister in superiori distinctione intendit differere de omni mendaciorum genere: ergo dùm in præsentî de perjurio, sive mendacio juramento firmato determinat, non solum de omni mendaciorum genere agere, verùm totam mendaciorum telam suo subtili acumine texere, videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, quid sit perjurium. In secundâ verò statuit, qualiter jurare non semper censeatur illicitum. In tertiâ autem, & ultimâ tenet, quòd perfectis viris jurare per creaturas quandòque sit licitum.

PRO

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis enodatione, primum proponitur theorema: *Etsi omne mendacium juramento firmatum sit perjurium, non tamen omne perjurium est mendacium.* Quod succinctè quoad utramque theorematis partem probat Magister in litterâ.

5. Primò, quantum ad primam partem sic suum suadet intentum Magister: ita passim ab omnibus diffinitur perjurium: Mendacium juramento firmatum; sed hæc diffinitio omni consonat perjurio, ut sedulò lustrantibus præfatam diffinitionem constabit: igitur omne mendacium juramento firmatum est perjurium.

6. Secundò, quoad secundam partem, nempe, quòd omne perjurium non sit mendacium, etiam probat Magister, dùm tres perjurii statuit differentias in litterâ. Quarum prima est, dùm aliquis scienter aliquod falsum firmat juramento, animo fallendi, quod tamen putat esse falsum. Secunda est, dùm aliquis temerè firmat aliquod falsum juramento, quod tamen putat esse verum. Hæc reverà geminæ pejerandi differentia nunquam possunt sine mendacio operari.

7. Tertia perjurii differentia est, dùm aliquis firmat aliquod verum juramento, quod tamen putat esse falsum. Hic etenim perjurandi modus fit sine mendacio, cum ibi non juretur falsum; non tamen est immunis à peccato, eò quòd non sit appositâ debita jurandi cautela, quippè, ut bene discutiatur, res super quam quis jurare præsumit: igitur non omne perjurium est mendacium, etsi omne mendacium juramento firmatum sit perjurium.

8. Præfatam Magistri doctrinam suâ ad longum præmunit auctoritate August. lib. de Verbo Apòst. serm. 28. dicente: *Homines falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur; aut putat homo verum esse quod falsum est, & temerè jurat; aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & nihilominus cum scelere jurat. Ille autem qui existimans verum quod falsum est, jurat, non videtur perjurus; quia non est mens ejus rea; & ideo nec lingua. Imò mens ejus rea est, dùm jurare præsumit, quod perspicuè verum non deprehendit:* igitur his tribus perjurii modis clarè ostendit Augustinus, quòd etsi omne mendacium juramento firmatum sit perjurium, non tamen omne perjurium sit mendacium.

9. Sed, ut magis perspicua hæc doctrina appareat, in illam sic primò objicit Magister: Satis pro comperto habetur, quòd non pejeret, qui verum, quod falsum existimat, juramento firmat, quia verum jurat, & etiam verbis non abutitur, eò quòd illud juret, quod significat: ergo quia non omne mendacium etiam juramento firmatum est perjurium.

Ref-

10. Respondet tamen Magister in litterâ, quod non tantum qui falsum jurat; sed etiam qui verum jurat, quod falsum esse existimat, pejerat; quia loqui contra mentem cum attestacione juramenti perjurium est, sive illud sit verum, quod dicitur, sive falsum; sicque omne mendacium juramento firmatum est, & dicitur perjurium.

11. Objicit secundò Magister in eandem doctrinam: Qui falsum jurat, haud dubiè pejerat: ergo videtur rationi consonum, quod omnis, qui juramento promittit aliquid, quod postea non adimplet, illicò jurando perjurus sit, cum tunc falsum juret, & falsum jurans pejerat: igitur videtur, quod omne perjurium sit mendacium.

12. Respondet Magister in litterâ, quod taliter jurans non incurrit perjurium, quia non omnis, qui jurat quod falsum est, ex quo jurat, perjurius est, ut in argumenti casu, de quo agimus; sed ex quo propositum mutat, vel terminum transgreditur, juratio talis fit perjurium reatu; atque adeò, nunquam probatur, omne perjurium esse mendacium, etsi omne mendacium juramento firmatum perjurium esse videatur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

13. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis indagine, secundum statuitur theoremata: *Quemadmodum jurare non semper est licitum; nec jurare semper est illicitum.* Hujus theorematis probatio cuidam duntaxat solutioni gravissimi dubii in textus litterâ appositâ inniri videtur.

14. Dubitat ergò Magister: *An jurare sit malum; vel illicitum?* Et responderet cum distinctione, ipsum his verbis expendendo dubium. Quod sicut jurare falsum est grande peccatum; sic jurare sine necessitate nequit fieri sine peccato, ut si quis per juramentum firmaret, Deum non esse Omnipotentem, sive rerum omnium Creatorem, talis falsum juraret, & per consequens gravissimum perpetraret peccatum.

15. At jurare ex necessitate super aliquo licito, nempe, vel ad asserendum alicujus innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est in illorum proventum, malum non est, cum sit ipsis necessarium: ergo quia jurare nec semper est licitum, nec semper malum, aut illicitum.

16. Id ipsum confirmat Magister Divi Augustini auctoritate lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 30. dicente: *Juramentum faciendum est in necessariis, cum pigri sint homines credere, quod eis est utile. Juratio non est bona, non tamen mala cum necessaria, id est, non appetenda, sicut*

sicut bona; nec tamen fugienda, tanquam mala, cum sit necessaria: igitur jurare quandoque est bonum, & licitum; quandoque malum, & illicitum.

17. Amplius roborat intentum Magister per Apostolum cap. 1. ad Romanos scribentem: *Testis est mihi Deus;* sed Apostolus novit præceptum Domini de non jurando, & tamen juravit: ergo quia ex se juramentum non est prohibitum: ergo solum jurare prohibetur vel cupiditate, vel delectatione jurandi; consequenterque jurare non semper erit licitum, nec illicitum semper.

18. Sed oppones illud Christi Domini apud Matthæum cap. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino:* ergo si juxta Christi Domini præscriptum non licet nobis omnino jurare, nunquam erit bonum, & licitum: imò illicitum, & malum jurare.

19. Respondet Magister in litterâ, Christum Dominum suo hic tantum præcepisse mandato, ne quispiam sicut bonum appetat juramentum, & assiduitate jurandi ruat in perjurium; non verò juramentum absolute prohibuit, si causæ ipsum cohonestantes adsint, ut ex fundamentis in theorematis subsidium appositis claret. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

20. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis declaratione, tertium astruitur theoremata: *Quavis jurare per creaturas sit prohibitum imperfectis; per ipsas tamen jurare licitum est perfectis.* Unicum ac præcipuum hujus theorematis probationis fundamentum capimus ex sex quæstionum, quas hic in litterâ suggerit Magister, fusâ ac argutâ solutione.

21. Primum ergò quæsitum sic in textus litterâ apparet: *Utrum liceat jurare per creaturas?* Et pro negante parte arguit primò Magister, ut suum postmodum facilius possit referare nutum: Juxta illud Deuteronomii cap. 6. *Reddes autem Domino juramenta tua.* Et Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino; neque per Cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum juraveris:* igitur per creaturas jurare omnibus est prohibitum.

22. Respondet Magister, quod Judæis, sive imperfectis concessum fuit per Creatorem, & non per creaturas jurare; Sanctis verò, sive viris perfectis per creaturas non est prohibitum jurare; eò quod in creaturis sciunt Creatorem venerari: ergo quavis jurare per creaturas sit prohibitum imperfectis; per ipsas tamen jurare licitum est perfectis.

23. Quod confirmare videtur Magister ex illo Genes. cap. 42. ubi

ubi Joseph per salutem Pharaonis juravit, Dei iudicium in eo veneraturus: igitur viris perfectis licitum erat per creaturas jurare, quia in ipsis Creatorem venerabantur. Unde Christus Dominus duplici de causâ prohibuit per creaturas jurare. Prima est, ne aliquid divinum in eis crederetur, pro quo ipsis reverentia deberetur. Secunda, ne jurans falsum per creaturas, crederet se non peccare; seu ne jurantes per creaturas putarent, se non teneri ad juramenti impletionem.

24. Secundum quæsitum ita in litterâ proponitur à Magistro: *An juramentum per Deum sit magis obligatorium, quam per creaturas?* Et respondet, quod qui per Deum jurat, magis tenetur, quam qui per Evangelium, vel per creaturas jurat. Quod ratione, & autoritate Divi Chrysostomi suadet Magister.

25. Primò ratione: Magis tenetur implere juramentum, qui jurat per eum, per quem facta sunt omnia, quam qui jurat per eum, per quem omnia facta non sunt; sed per Deum omnia sunt facta, & non per Evangelium, aut creaturam: ergo juramentum per Deum magis obligat, quam per Evangelium, aut creaturam.

26. Secundò, autoritate Divi Chrysostomi homil. 54. apud Imperfectum, sic scribentis, simulque objectioni cuidam respondentis: *Stulti, Scripturæ sacræ propter Deum factæ sunt, non Deus propter Scripturas; ita & creaturæ factæ sunt propter Deum: ergo si quemadmodum Evangelium, sive Scripturæ sacræ propter Deum factæ sunt, & non Deus propter Scripturas, aut Evangelium; sic creaturæ factæ sunt propter Deum, & non Deus propter creaturas, satis colligitur, gravius fore jurare per Deum, quam per Evangelium, aut creaturas; ac proinde jurans per eas, minus obligatur, quam jurans per Deum.*

27. Sed oppones primò: Qui jurat per creaturam, reverà jurat per Deum; cum non intendat creaturam, sed Creatorem ipsum adducere in testem: ergo quia idem est per creaturam, ac per Creatorem jurare; sed quo pacto idem est per creaturam, ac per Creatorem jurare, juramentum per Deum non valet plùs constringere, quam per Creatorem: igitur resolutio quæsitæ appositæ à Magistro in litterâ unâ cum Chrysostomi autoritate nihil probat.

28. Respondetur cum Magistro negando Minorem, & Consequentiam. Nam licet dum quis jurat per creaturam, intentio præfertim feratur in Deum; hoc solummodò est habitualiter, non actualiter; at, dum jurat per Deum, ipsum actù, & habitù advocat in testem; Cum ergò intentio actualis adeò sit habituali amplior,

etiam

etiam obligatio, ipsiusque transgressio censenda erit major; sicque juramentum per Deum plùs obligat, quam per creaturam operatum.

29. Oppones secundò: Majoris ponderis ab omnibus arbitratur, plura insimul, quam unum, despiciere bona; sed qui jurat per creaturam, si pejerat, despicit creaturam unâ cum Creatore; qui verò per Deum jurat, etiamsi pejeret, solum Creatorem respicit: igitur juramentum per creaturam exhibitum, plùs constringit hominem, quam juramentum per Deum factum.

30. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Majorem, & Consequentiam. Quia, cum creatura respectù Creatoris uti nihil habeatur, nihil inde perfectionis supra divinam supremamque excellentiam addere potest; atque adeò nec contemptus creaturæ supra Creatoris contemptum, quia non plùs in creaturâ, quam in seipso despiciatur Deus; sicque gravius jurare per Deum, quam per Evangelium, aut creaturas, meritò autumatur.

31. Consentaneè his modò subjungit Magister in litterâ: Quid sit jurare per Deum; quid verò per creaturas. Jurare enim per Deum, est Deum adhibere testem illius rei, super quam juratur per Deum: Jurare verò per creaturam, est Creatorem ejus testem suum obligare. Quemadmodum juravit Apostolus ad Romanos, cap. 1. dicens: *Testis est mihi Deus*, ac si diceret: *Per Deum ita est.*

32. Quod reverà perspicuè tradidit Augustinus lib. de Verbis Apost. serm. 28. scribens: *Ridiculum est putare hoc, si dicas, per Deum, juras; si verò dicas, testis est mihi Deus, non juras. Quid est enim per Deum, nisi testis est mihi Deus? Aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum. Quid est autem jurare, nisi jus Deo reddere, quando per Deum juras? Jus, scilicet, veritatis, & non falsitatis. Jurare verò per quamlibet creaturam, est Creatorem ejus testem adhibere. Igitur pro dignitate expendit Augustinus, quid sit jurare per Deum, quid verò per creaturas.*

33. Unde ex his appositis, duo legitimè deducit cum Augustino Magister. Primum, qui per lapidem jurat falsum, perjurius est, quia non per lapidem jurat, sed per ejus Creatorem. En Augustini verba lib. de Serm. Domini in monte, serm. 28. *Ecce dico Charitati vestre: Et qui per lapidem jurat falsum, perjurus est; quia non lapidem, qui non audit, sed ejus Creatorem adhibet testem: ergo.*

34. Secundum quod cum Augustino deducit Magister est, quoddam esse juramenti gravissimum genus, quippè, quod fit per

execrationem, ut dum homo dicit, si illud feci, illud patiar, vel illud contingat filiis meis. Audi modò Augustinum ibidem dicentem: *Cum quis ait: Per salutem meam, salutem suam Deo obligat. Cum dicit: Per filios meos, oppignerat eos Deo, ut hoc eveniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius; si verum, verum; si falsum, falsum: igitur gravissimum juramenti genus arbitratur, quod per execrationem fit.*

35. Tertium quæsitum sic in litterâ suggerit Magister: *An per falsos deos jurans infidelis, peccet?* Et respondet juxta proprium Augustini nutum Magister, quòd si infideles jurant falsum per falsos deos, dupliciter profectò peccare videntur. Primò; quia jurant, per quos jurare non debent. Secundò; quia jurant contra fidem, quam servare tenentur. Hæc sunt Aurelii expressa eloquia Epist. 154. ad Publicolam scribentis: *Te prius considerare volo, utrum si quispiam per falsos deos juraverit, & fidem non servaverit, non tibi videtur bis peccasse? Bis utique peccavit; quia juravit, per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit: ergo.*

36. Ex his etiam duo subinfert Magister juxta appositam quæstionem. Primum, quòd qui utitur fide illius, quem constat jurasse per falsos deos, idque non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, qui per dæmonia juravit; sed bono pacto ejus, quo fidem servavit. Secundum, quòd sine dubitatione minùs malum est per falsos deos jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur magis sanctum est, tantò magis est pænale perjurium.

37. Sed dices in Augustinum: Gravius peccatum est idolatria, quàm perjurium, sive sit verum, sive falsum; cum idolatra dum jurat, tentet ex animo idolatriam patrare, eò quòd idolum honoret per ipsum jurando: ergo videtur quòd minus malum sit, per Deum verum fallaciter, quàm veraciter per falsos deos jurare: igitur Augustini testimonium non suffragatur asserto.

38. Respondetur in gratiam Augustini negando Consequentiam. Quia in juramento, quo quis per falsos deos jurat, duo præsertim contemplanda veniunt, quippè, id quod asseritur, & id per quod asseritur. Primum, sive meditando id, quod asseritur, minus malum est per falsos deos veraciter jurare, quàm per Deum verum fallaciter; quia hinc asseritur falsum, & ibi verum affirmatur, in quo reverà sensu Augustinus in textùs litterâ affatur. Secundum verò, sive respiciendo id per quod juratur, gravius majusque malum est jurare verum per falsos deos, quàm falsum

per

per Deum verum, ut ex terminis claret, & cui Augustinus refragari non habet.

39. Quartum quæsitum his perficit verbis Magister: *An juramentum incautum, vel inhonestâ conditione factum, sit executioni mandandum?* Et respondet ipse Magister in litterâ, juramenta incauta, sive in malum exitum vergentia, non fore observanda, sed imò mutanda, ita, ut qui illa non mutaret, peccaret dupliciter. Primò, quia injustè juravit. Secundò, quia facit, quod non debet.

40. Quod aliquibus Patrum testimoniis probat Magister. Primò ex Ambrosio libr. 22. Offic. q. 4. & 5. dicente: *Est contra officium Dei, nonnunquam promissum solvere sacramentum, ut Herodes fecit: igitur juramentum incautum, seu quod in pejorem exitum vergit, potius est mutandum, quàm implendum.*

41. Secundò ex Divo Isidoro lib. 2. de Summo bono, cap. 32. scribente: *In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum: Quod incautè vovisti, ne facias; impia est promissio, quæ scelere adimpletur: ergo si in malis promissis rescindenda est fides, & in turpi voto mutandum decretum, eò quòd impia sit promissio, quæ scelere adimpletur, juramentum, quod vergit in deteriorem exitum, nunquam erit executioni præstandum.*

42. Tertio ex Venerabili Bedâ hom. 44. sic alloquente: *Si quid nos incautiùs jurare contigerit, quod observatum, pejorem vergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum noverimus: ergo si salubriori consilio mutandum est, quod nos incautiùs jurare contingit, cum observatum, pejorem vergat in exitum, bene colligitur, præfata juramenta potius mutanda, quàm implenda fore.*

43. Quarto probat Magister ex illo egregio memorandoque facinore, de quò meminit 1. Reg. cap. 25. ubi juravit David per Deum occidere Nabal virum stultum ac despiciatum; sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis remisit minas, revocavit ensẽ in vaginam; nec aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit. Quod expendens Augustinus in litterâ, ait: *Quòd David juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit. Juravit David temerè, sed non implevit jurationem majori pietati: igitur ex his testimoniis satis clarè sequentia deduci videntur, nempe, quædam juramenta non esse servanda; & qui jurat, gravissimè peccat. Cum autem mutat, benè facit. Qui verò non mutat, dupliciter reus fit; & quia injustè juravit; & quia fecit, quod non debet.*